

A

1935

IV.

316.ig.jegyzék

"Matica Slovenska, Turč. Martin:"

"Régi nyomtatványok:"

6.cim: Baník /3-6/.

Bamk (3)
EXERCITATIONES
POETICÆ

Honori

REVERENDORUM, PRÆNOBILIUM,
NOBILIUM, AC ERUDITORUM D. D.

NEO.

BACCALAUREORUM,

Cum

In Alma Archi-Episcopali Universitate
Tyrnaviensi primâ Philosophiæ Laureâ
condecorarentur,

PROMOTORE

R. P. GEORGIO BERZEVICZI,
è Societate JESU, AA. LL. & Phi-
losophiæ Doctore, ejusdemq; Pro-
fessore ordinario.

A PRÆNOBILI HUMANITA-
TE TYRNAVIENSI

Consecratæ

Anno salutis 1692.



TYRNAVIÆ, Typis Academicis, per
Joan. Adamum Friedl.



OBTULERUNT

FRANCISCUS MARSINAY
de Marfina Nobilis Hungarus Sza-
kolczenfis S. R. I. Eques.

CASPARUS MIHALFFI Nobilis
Ungarus Levensis Ex Seminario
B. M. V.

PAULUS FRANCISCUS HUBA-
CZEK Nobilis Ungarus Szakolczen-
fis è Regio Nobilium Convictu.

JOANNES OKOLICSANY Nobilis
Ungarus Liptovientis è Regio No-
bilium Convictu.

GEORGIUS NEMSOVAY Nobilis
Ungarus Verbovientis è Regio No-
bilium Convictu.

LADISLAUS MALONYAI Nobilis
Ungarus Kistapolczinientis.



Reverendi, Prænobiles, Nobiles, ac
Eruditi D.D. Neo-Baccalauri.

Ulratî obsequij memores aperto capite, hu-
mili fronte, Laureatum Vestrum hono-
rem offendimus, violatæ rei humanitatis,
si consumpto propè in unum folij titulum
totius artis patrimonio, vobis de præroga-
tiva certaremus; inhumani, si certare velle videremur.
Et quam discolori citra risum vertici prætexeremus syn-
thesim, reliqua quodammodo metra discincti. Artes
Nobilitati revocamus in Urbes, voce ni in cantum, at
clamorem compulsâ: cui urbanitati, si minor eleganti-
arum splendor; nequaquam mirum, Musis extra muros
apricantibus: quæ & ipsa cum desidio sum urbium furo-
rem exosa agresti in rure, Civium togâ ad puriorem so-
lem exuti tunicata gaudere malint diei, parum civilia
in responsum ora conduxerunt. De vino si minus ad gu-
stum? Vini cæcumen est: ex horno tripode cruditatem non
ponit, nisi tempore. Aquam laudamus Pindaro optimam,
quam, si commotus in vindictam turbaret stomachus,
sub abstemiorum patrocinium effundimus. Turcia nobis
ægrota, languoris certius perichitaturis indicium venâ
fecerit versu; morbum si non tangimus, fingimus: hæc
poëtis audendi semper fuit aqua potestas. Annuo succum-
bere agram fluxu, adversus sanguinea mali sedes arguit
Danubius, videturque Lunatica Turcarum gens Titya
à natali sidere infelicitati destinata totam naturam in
damna partiri & incrementa, ac diminutum post repe-
ritas tot cædes, rursus in novum nasci tumorem, qui cum
deficiente

defluente ratibus incendio adeò exulceretur, ut vix veterior cicatrix in recentem plagam maturescat, ex uno Hungaria Regno, cui tanquam firmiori innixa basi steterat non exigua Imperij parte lapsura, signis belli sacer, quia contra Christianitatis hostes serpere pergat, victoriosus. Cui nobis proficue patienti in solatium, presentiusne Tartaria sulphur, an sublatum thesauris aurum, avidus in dolore vindictæ ardor dubium facit. Perfectum hic nihil quisquam requirat, quia omnia in exercitationibus, à quibus hoc culmen tantum abest, quantum ab in circo currentibus meta. Usque adeò male compositi, Domini Domini Neo-Baccalaurei, Vestris nos splendoribus ingerimus verecundi, sed non veremur, gnari, ut sapienti Philosopho nil insipidum, ita illustri nihil fore despectum, Vobis in Aristotelica vestra Paupertate plenis ut letitia domi sit perpetua, nostra admitte, vestris gaudebitis. Quod precamur ex animo

Vestro Honori

Addictissimi

Tyrnavienses Poëtæ

Nobi-

Nobilitas Artibus offert Urbes.

Quam fero, me certam scitis, dare posse salutem;
Si placet, oblatum sumite vocis ave.
Obstupeo, amotæ Phœbo vos antra subitis,
Patria, cum celebri linquitis urbe fora.
Hoc mirum in sexu: timidum nam fœmina semper,
Incomitata latus, ficta timere solet.
Error persuasit, cœcos errare recessus,
Utque habitata domus atria virgo sinat.
Turpius est levitate nihil: sint æquora testes,
Ancipites semper fluctuat unda vias:
Qui modo tacturus censetur sidera fluctus,
Jam jam tacturus cernitur ima sali.
Circumagit faciles varius sic Eurus aristas,
Ut caput ignorent ponere quæque suum.
Suspiciunt pronæ primi vestigia solis,
Occiduas versæ mox reverentur aquas.
Non est ille suus, quem quivis impetus aufert,
Non sinite, ut facilis vos quoque turbo ferat.
Exilium fontes teneat: pia Virgo penates
Custodit patrios, pensa datura manu.
Ite domum (præstat) primus nunc incipit error,
Quæque recens, quævis abluit unda, notam.
Tutior urbs campo, sylvis sunt tutius arces,
Hæc habitata feris, militis ille globo.
Clausa timet mulier forium se credere ferro,
Inque feris fidam censet abesse fidem.
Sepe nemus rarâ vix claudit pastor apertum,
In patulis sonipes proterit arva pede.
Illic delabens folium fit causa timoris;
Militis hincque strepunt arma datura metum:
Ite domum: sint antra feris, vos tecta tenete,
Dicere, quæ possit Dædalus arte suâ.
Non veni, fateor, nec mens revocare vagantes;
Sunt alij, mihi non convenit iste labor.
Me tulit huc casus, qui felix accidat optem,
Nec pactum doleat deseruisse forum.
Ambior, & multis votum est mea iussa vereri,
Felix, cui nostro limine stare datum.
Stirps antiqua mihi, supero cunabula Trojæ,
Prima lari pendens & mea cera fuit.

Nec vos dedeceat, quamvis servire vocarem,
 Sorte tamen vestras vos meliore voco.
 In famulis promptas dominum spectare iubentem,
 Sunt plures numero, qui mea iussa velint.
 Pulverulenta vijs, quis sim, dat turba clientum
 Indicium, nubes post mea terga traho.
 Trita videte domus undantis limina; gentes
 Orbis, dicetis, continet ista domus.
 Ito Comes pia turba mihi, nec rure fatiscas,
 Quæ te suscipiant, atria laxa patent.
 Atria, queis Parios componunt marmora muros,
 Phidia tecta ferens, fessa columna gemit.
 Vos luci genitas pudeat, quæsisse sepulchra:
 Ramosas pudeat constituisse specus.
 Artes vos missæ famularia Numina mundo,
 In mundi iussis ergo manete plagis.
 Orpheos ad cytharam legimus fera saxa migrasse
 Non norint veteres segnia saxa gradus.
 Urbes marmoreo innumeras numeramus in orbe:
 Dignior ex tantis, fors erit una legi.
 Non fuit (ut memini) vestrum mos iste parentum;
 Si sapitis, primi vivite more patris.
 Est Tenedus, Chryse, Cylla inter Apollinis urbes:
 Urbs prior, ac Phœbi patria Delos erat.
 An juga prærupti placeant plus dura Phœllis?
 Molis an ingentis nomine clara Rhodus?
 Non lego, pro lucis doctam certasse Minervam;
 Sed lego; Cecropias vincat ut illa domus.
 Assvetas sequitur (parcamus) Cynthia sylvas.
 Urbs Ephesus fiat; præferet urbe coli.
 Pontum Naso feret, posset modò Roma videri:
 Exilij sola hæc maxima plaga fuit.
 Qui fugiens homines vivit deserta ferarum,
 Is fugit, Altitonans quod Deus ipse cupit.
 Cornua fert tauri, fulvus fit Jupiter imber,
 Non nemori, aut antro talis amore venit.
 Credite, de cinctis muri mænia mœnibus arcent,
 Mœnia quem nudant, plus feritatis habet.
 Perpetuis nigrum radijs sol torreat Afrum,
 Vos tectis formæ consuluisse juvet.
 Insuper glandes, ori neque gratior ilex:
 Brutis incoctus convenit iste cibus.

Cruda

Cruda dabunt sylvæ, ast epulas meus excoquit ignis,
 Quales Numinibus Jupiter ipse daret.
 India boletis, mensam perdice faginant
 Chaonij, spumat Cretica vina calix.
 Quis speret nemori Myrtillum grata parare?
 Dura dapes radix, lurida potus aqua.
 Incolit horrentes has ora; turpis egestas,
 Foeta parens sceleris, grandis origo mali.
 Divitiæ muris, testis congesta voluptas,
 Gaudia, delicias, mœnia tuta tenent.
 Mens mala, quæ venient, si nunc præfaga videret,
 Quæ sani debent prædidicisse prius;
 Lautâ conspiceret nemo vos urbe remotas;
 Proposito vires, consiliûmque deest.
 Non moveam, sed quo cœpistis pergite vento,
 Bruma dabit gelidum, quo doleatis, iter.
 Icarus obstiterat monitis, natat æquore nomen:
 In documenta nemus viscera vestra trahet.
 Suasi: sint cuius, specto quæ commoda, nôstis;
 Ad portas urbis vertite vela ratis.
 Si timor ex populo, si plebs fastidia movit,
 Vitemus numerum, tædia vana gregis.
 Offero sublimes, innixas montibus, arces:
 Credite castellis corpora vestra meis.
 Rarior hic hospes, raris hæc fluctibus ora,
 Vos forti excipient atria nostra domo.
 Arduus antè ædes suffossis excubat agger
 Vallis, accessum valla profunda negant.
 Indomito rupes tergo missum excipit ignem,
 Assvevit vanos integra ferre globos:
 Fingite vos Trojam, vel si quid fortius illâ,
 Graja quam nequeunt frangere iustra duo.
 Irriguis intus procumbit fontibus hortus,
 Delicijs robur junxerat ille locus:
 Palladis ut nitidi rident sub casside vultus;
 Saxeæ sic florens induit arma solum.
 Sparta, quod est Trojæ, plus sunt mea regna rubetis:
 Vos habeant Helenam Pergama nostra novam.
 Contigui accurrunt saltus, vaga regna ferarum,
 Præcipitans piavis abluit unda pedes.
 Huc mecum comites: si nunc quoque saltus amatur,
 Huc ducam, quoties retia sylva geret:

A 4

Et

Et quoties cervum pellet clamosa juvenus,
Nec latebris finitur, delituisse lupus;
Tarda cani manibus solvetis lora precanti:
In vestra excitus tela recurret aper.
Hæc placeant: quid enim melius vel Cynthia præstet,
Parthenij curvo perflat ut ore juga?
Spondeo quid majus, quod non vidisse doleret,
Cujus nec sylvæ spem facit ulla rei.
Lucem natalis quoties Lucina reducit,
Quâ dedit infanti cernere solis iter.
Aut quoties populi currunt ad sacra Deorum,
Festa petit mystis, officiûmque dies.
Tunc dubiæ præbet stadium spectacula plebi,
Quos videt, Eurorum plebs stupet ire pedes.
Hunc equus effundit, rapido pars altera curru
Acta ruit: Tanti meta laboris honor.
Prætereo reliquos, quos dant certamina, plausus,
Queis didicit Libycas vir superare feras.
Gaudia Penelopes, suo Ulyssi juncta teatro,
Uda genis, properat stringere colla viri.
Ludimus Alciden: humeros hic elocat astris,
In summo nullum pondere sentit onus.
Spernitis hæc duræ? Non ludent dramata Fauni,
Grex Satyri informis dat neque dente jocos.
Vici? vel cassus pulsavit litora vomer?
Tam cito non potuit vertere corda lapis.
Stant animo sylvæ, redeunt fors urbis amores?
Néve nemus mores, vertitis urbe nemus?
Vana, vel incertæ rapuerunt verba procellæ,
Et duris similes jam juvat esse rubis?
Verum orbem fugitis, fugiendum quaritis orbem,
Quisque prior, verus (pergite) trames erat.
Credite, securi non est hæc semita portûs
Quodve amat, erratum cymba dolebit iter.
Non venient isthac teneri, comptique puelli
Qui pede subducto basia dent manibus;
Sollicitive bibant, quas miscuit Alvarus, artes;
Aut memores referant, quos didicere, libros.
Grammaticæ albicomum nullum tua signa docebis,
Sed vix, quem doceas, Ursulus hirtus erit.
Non lupus ut patulum declinet svaferis agnum:
Errabunt, leges des licet usque gregi.

Svavior

Suavior & Divis tu gratior una Poësis,
Ne pete, quod mores dedecuisse potest.
Gratia te speculis, ornet te gemma pyropis,
Cum soleant tecum Numina sæpe loqui.
Ah sine, contemptam quis semper ludet avenam,
Rusticus (heu pudeat!) quàm tumet ore Notus!
Arma virumque canes, sed Trojæ ad littora; sylvas
Inficiunt Satyri, gens prohibenda foro.
Jamque culex habuit vatem; sunt laudibus apta
Plura urbi, dignam sollicitantque chelin.
Fiunt connubium, natalis, prælia versu:
Delicias, munus,serta Poëta refert.
Planior ut pedibus trames per marmora stratus,
Sic facile offendit planta retenta rubis.
Suada foro reside, populus fora subjicit audax.
Non nemus, ast populos Herculis ora trahant.
Multa vales, totoque est lata potentia mundo:
Sic regni nollem perdere jura mei.
Vincent arma togam, non cedit laurea linguæ:
Pandet victrices ira, furorque notas.
In se turba ruunt, ponit gens gentibus arma;
Fasque, nefas passim nomen inane sonant.
Fis rea, si spernis, quo quires crimine munda
Esse; dare, ut differs, nolle videris opem.
Quid dicent, si te videant Sacra rostra Quiritum,
Degenerem in durum verba referre nemus?
Ah sine, clamosis surgant (quid abuteris arte?)
Ranis in mures prælia, bella, neces.
Trito formicis tendes de limite lites?
Quem tenet antiquo tempore, jure tenet.
Dicitur Actæon canibus dignissima fatus,
Qui vellet Dominum noscere, nullus erat.
Finge tygres, ursos, Libyco & finge Leones,
Falleris his pangi fœdera posse feris.
Si svades alijs, tibi cur non optima svades?
Te prior, haud alius dignus amore pari.
Quæ dixi, rata sunt: exemplis urget Ulysses:
Hectoris ante rates arma loquendo capit.
Non sylvæ, at populus facundi nomina plaudit,
Ruri desertum deserit iste decor.
Te miror Logicam, spinis vis jungere spinas,
Difficilisque novis subdere sensa rubis.

A 5

Pauca

Pauca scies, nimumque brevis sit terminus arti,
Si abstractum cupidâ non nisi mente tenes.
Quod natura fugit, vacuis tu quæris in antris,
In plena est melius vivere, crede, penu.
Gaudet Pythagoras soles jam quinque silendi
Lapsos, nec lustris adderet ille diem.
Flebit Aristoteles, si cedas organa Pani,
Ascauli, & cannis, non facit iste sonus.
E patulis specta tectis, scit currere Petrus:
In dumis lapsus caudice, tanget humum.
In numero, numeri Præses, nec habebis ullo,
Quisque fugam signet calculus, ater erit.
Collybus, & censor, qui merces vendidit hastâ,
Non hic; nummatis urbibus empta licent.
Aurea, non aurâ, sed ab auro regula nomen;
Illa solet campis, hoc solet esse feris.
Cum Leo venator canibusque, lupoque citatis
Impleret captis retia dira feris:
Dicunt admonitum, prædam in tres dividat æquam,
Non mihi trux fremuit Regula scripta Trium.
Quid numeres armenta lupo, quid montibus hædos?
Et numero census subtrahit ille gregi.
Clavius assequitur, quot arenis compleat orbem;
Quot, dices, segeti gramina falce cadant?
Desine nugarum; madidum quis ab æquore limbum
Censeat? insanum, calculus ista notet.
Si libitum numeris onerare volumina chartæ?
Ad nostram veniunt plurima turba domum.
Hic bibitis pendet pro vitibus æra tributis,
Hic quæret mediæ, debita jura domûs.
Non census feret hic venisse ex arcibus axes:
Hic dicet vini, tot mea vasa vehi.
Pigra tibi nunquam torpebit Regula Pigri,
Non loquor ignarus, quod gerat utque dabit.
Et tu quas meditare Fugas tibi Musica turpes?
Sit socijs discors durior iste Tenor.
Vis, asinus ludat cytharâ? vis, concinat Altum?
Vis, celeres saltus fortè camelus agat?
Viderit hoc Orpheûs, pretium non utile pleçtris:
Te juvet humanos arte movere pedes.
Temperat astra sonus, complet concentibus orbem:
Orbe nec in toto pars vacat ulla modis.

Astra

Astra canunt cœlis, volucresque per æera cantant;
Vox nemorisque fera, voxque sit urbe tua.
Voces non placuit tremulas dum emitteret ore
Turba manu moniti? cymbala, pleçtra, chelis?
I, pete, sublimi sedeant animalia rupe,
Scalas cantandi currere nulla sciet.
Sus grunit, sed frender aper, mitilabit aëdon,
Fac vagiatque lepus, solvat & ora boans,
Aut canis alatret non territa cornua lunæ.
Plena, quid, aut simplex, non didicere notas.
Ungve leo fortis, sed abest ars, quâ organa pulset,
Ursi utriculus, syster canora lupis?
Ut gemino feriant capri, fac, tympana cornu;
Simius accipiat pleçtra regenda manu.
Altum pro tactu modulans sed & oncet asellus,
Aut felis tenues frangat in ore sonos.
Quid philomela vibret, crocicans si tempora corvus
Occupet, aut nullas curet adesse moras.
Ut video, nescis, cytharæ quid Apollinis actum,
Dum lauri festum fronde pependit ebur.
Tentârat chordas infelix Palladis ales,
Rostro jam unge trahens, inscia fila secat.
Territus; ut rapuit turpis se hubo per auras,
Dejecit in præceps pes lacrymabile opus.
Indiaco nivea an tanti sunt cymbala dente?
Orpheæ ut pereant Thracia pleçtra lyræ?
Nunc melius, frustra post stendis, consule rebus;
Quæ modò fata sinunt, tempore fata negant.
Cæcos, sique sapis, tu linque Geometra lucos,
Longis nox oculis officit, umbra valet.
Palmis callosus mensuret villicus ædes,
Ut modicas capiat, vel brevis ulna sat est.
Debitus at labor est turri, cui pendula plumbo
Alto rimantur fila, profunda pedum.
A quarto lapide emensus sua jugera signat
Agricola, ut duris passibus errat agrum.
Certam sublimis gnomen murarius aptat.
Nobilis urbe canon, marmora rite ciet.
Arti dat dives pretium, crebrâ utitur arte;
In rudibus vicis circinus hæret iners.
Videris Uranie num dignum hos astra docere,
Qui nollint vultum tollere ad astra suum?

Ætherea

Æthereas pecori monstrabis luminis oras,
Nec tamen umbrosos deseret ulla specus.
Errat, qui cœlos depressis quærit in arvis;
Vallibus à nigris longius axis abest.
Extruimus speculas, fugientia tangimus astra,
Primos scit solis prodere turre equos.
Fortè tuis videas, quo tempore Plejades imbrem
Fundent, quo ventis Æolus armet iter?
Ruricolis lato segetis solabere lucro?
Semine vel dices rura datura minus?
Dixeris hæc frustra; jam sunt sua signa colonis:
Rana coaxat, oves duc puer, imber erit.
Montes manè rubent, venient hinc flamina, dicet,
Quæ modò stat pinus, vespere fracta cadet.
Temporis è libro (villas tua pagina fallit)
Rara petent festi lumina solis cant.
Rure riget Pòllux, ergo speremus arantes:
Spes lætis segetes ista sponndit avis.
Se nimio comit luxu si florida quercus?
Heu parvus, modicum scindite, panis erit.
Hæc quivis nôrit durorum sœvetus agrorum,
Sique fidem fallas, non erit ulla tibi.
Quæ svasi, sunt vestra salus; licet urbibus uti,
Conditione licet jam meliore frui.
Si quid matris imago potest, hæc plurima debet,
Per clypeos, & quæ tela Minerva gerit:
Sumite momentum, tenet hæc pro civibus arma,
Cive solet salvo querna corona dari.
Verùm si duræ stent in contraria mentes,
Candida civilis displiceatque toga.
Sordida si plaris fiant aut otia ruris,
Delectètque magis, quàm fora, turpe nemus.
Ite, licet, diris posthac convivite brutis,
Vobis hæc urbes debita verba legent.
Incultis turpes miraris moribus artes?
Urbes exosæ rustica rura colunt.

Artes Nobilitati.

Reddimus allatam cum scœnore jure salutem,
Currat Erythræo candidus axe dies.
Tu modò non certæ ne claudas lumina Divæ:
Justus muratis urbibus iste timor.

Et

Est cœca, & certo non fert sua tempore dona:
Hinc semper pateant vult sibi jura domus.
Miraris patrias potuisse sororibus ædes
Linqui, vel nemori postposuisse fora?
Desipis; incingi patrias sapientibus ædes
Si credas, orbis quæ patet, est patria.
Arctois subjectus ager, pro Pallade aratus
Falce meti gaudet, perdere lucra putat.
Doctis & nigri tellus est candida Mauri,
Nec cadit occiduus, sole cadente sophus.
Nec medijs umbras Musæ patientur in oris,
Quæis pleno Titan celsior axe micat.
Sed levis est, primos alijs mutare penates,
Et levitatis erat testis: arista, mare.
Posthac Phœbe levis, primus ubi natus in undis
Siste rotas, nullos abluat Indus equos.
Hospita Zodiacis claudantur signa tabernis,
Nec duodena dein sol volet astra domos.
Anni Jane parens, labentis temporis author,
Qui potis oppositum Jane videre simul:
Cuncta vides terris, & non circumspicis unus;
Ni levis esse velis, figito tempus idem:
Alternant hyemes, horret ver brachia cancri,
Autumnósque gelu bruma timenda fugat.
Semper hyems; semper (solet hæc constantia dici)
Durius unda solo, durior unda petris.
Falleris, ignarus ni verso sidere cœlum
Credis idem, idem sol, itque reditque viam.
Non eris inconstans, movearis mille per urbes,
Mens modò sit stabilis, propositique tenax.
Immota esse potest multis mens urbibus una,
Mota nec est constans urbe manendo suâ.
Ne timeamus, ais: prætextum mitte timorem,
Si metuat sexus: sanguis at iste nihil.
Patre sumus fortes, est & fortissima mater,
Ille potens telis, hæc metuenda manu:
Illis stratus erat Pytho; hæc stratique Gygantes;
His aquilis nasci nana columba nequit.
Utque leoninum primò bibit ubere vultum
Matre lænâ ortus, tygridibusque tygris:
Nec nos degeneres prima virtute paternis
Ebibimus vires, lacte fluente pares.

Urbe

Urbe Diana procul venatrix antra ferarum
Lustrat, nec specubus cernitur esse metus.
Suffinet impavido dirum Meleagria telo,
Qui ruit, Ætolis dente timendus, aper.
Impie! non totum notet hæc infamia sexum.
Quæ pellat, dabimus, virgo tremenda, viros.
Strinxerat arma ferox, Danaásque represserat undis
Penthesilea rates: Fœmina fortis erat.
Theseus Hippolytes jam jam succumbit ab arcu,
Non, ni vicisset, conjugè digna suo.
Nec streperâ pinu, nec duro casside vultu,
Horreo rugis, quæ fronte superba tumet.
Frons inimica, supercilium curvatur in arcus,
Tela tibi fastus, non toleranda Dijs.
Quid genus, & proavos, pendentis imaginis umbras,
Jactes, in muris qui lutulente jaces?
Pierides lauros proavis, Victoria palmas
Dona dedere viris: quisque patrata tulit.
Consilio hic firmas patriæ servaverat urbes,
Mortuus è libris pergit amica loqui.
Hostes ille manu centum sacraverat orco,
Et facit agnatis urbibus esse procul.
Cæsaris huic lucent fulvi de torque lacerti,
Cæsar & externis gentibus ipse fuit.
Nobilitas est ista patrum. Nil filius addis?
In te finitus degener aret honor.
Nobilis è primis lectus virtute colonis,
Unde prius ductum, sæpe revertit opus.
Quod nobis spatium? si factu mœnia replet,
Et famulo mendax obruis orbe fora.
Instabilis mundus, mundo neque debitus ordo:
Dux gregis es visus prævius esse caper.
Audax adnumerare petas & Numina servis,
Ingenuis dominans artibus ire prior?
Non sequar; auratas nec sponde montibus arces.
Tanara sint licet, aut tecta, Cariste, tua.
Artifices picto quid sunt Nilotide muri?
Regia quid tenui Pallade texta manu?
Sunt Nobis majora: Midæ, nec pergama villæ:
Scis patrem, & patriam nos habuisse Jovem?
I nunc, ut plenus clamet sua stemmata pulmo
Qui capis à primo Deucalione domum.

Bajanis

Bajanis Luctina dapes dant ostrea mensis,
Hospes & à puero Lesbica vina bibat.
Delicijs his sylva caret, caret atque dolore.
Nodosos nulli strinxerit unda pedes.
Deliciæ morbos, quercus dant patribus annos;
Illice Chaonius sæcula vixit avus.
Gratia nulla frui, quas plenus reprober escas;
Et saturo doleat ventre vorasse stygem.
Delicias sine delicijs non invidet ullus:
Qui sanus, nolit nemo carere malis.
Damno levis vulgi, streperas quoque Nobilis ædes:
Plebs jacet, iste tumet, mœnia luxus habet.
Est abies constans, tacitam dant robora noctem;
Simplicitas ruri, purior ora polus.
Fingamus, Priami referantur ut Artibus aulæ,
Ut domus exceptis officiosa pede.
Iste præit, fessis hic dextram, tertius adfert
Sedem, nullus vult parte deesse tuâ.
More solent fieri ista, haud vero corde geruntur:
Cessat, qui præceps, non fuit ullus honor.
O quoties (proles dolor est spectasse capaces)
Mens erat in primis erudijisse notis.
Grammaticæ quoties immixta dulcia legi,
Verba dedit, mendum dedocuitque rudes.
Quondam Philyrides magno præcepit Achilli,
Pelion ut parvo docta palæstra fuit.
Plurima docturi frustratur dogma magistri,
Mentitus sexum matre jubente puer.
Nil Latine prodest proponi encomia lingvæ,
Nil Arpinatis scripta decora legi;
Si querulus lacrymis referat sua tœdia matri,
Non probus est doctor, non probus ipse liber.
Floreat Aonijs æterno germine laurus,
Et cogat vates verba ligare modis.
Mœonius placuit; capti sunt plura Marone,
Ingenium dicent: frangeret iste labor.
Hunc piget ætatem calidis impendere libris,
Quos reliquis studium, spondet & arca gradus.
Alterius nollet genitrix pallefcere vultus
Mollibus officiet (quam fuge) charta genis.
Svada petit fortes, & firmi pectoris ora:
Dedecet at clamor Nobilis ora viri.

Musica

Musica plaris erit, motis Tartessia plectris.
 Artibus haud nostris cognitus ille sonus.
 Uranies durum vigiles tra ducere noctes.
 Noctem dant epulis; dant tibi somne dies.
 Et nos invitent, inviti munia ferre,
 Sedula quæ gnatis Ars patienda daret?
 Phœbe sinu Thetidis veniens mirare studentes.
 Jungit ut Eois Hora Phlegonta jugis.
 Immersasque libris, fuscis nos Cynthia bobus
 Vecta stupet, somnos Endymionis amans.
 Mundi nempe quies nostros fovet alta labores:
 Dulcius insomnes lactat oliva genas.
 Sunt odio molles juvenum, velut otia, cultus;
 Te castigatum flevit Adoni Venus.
 Quis ferat, infami speculo describere leges
 Crinibus, & nostro vivere nolle stylo?
 Quis ferat assuetis teneros jam ludere chartis,
 Quis toties patriæ perditur orba salus?
 Este procul. Mores hi demunt urbibus urbes:
 Et muri cingent nil nisi turpe scelus.
 Est aliquid celeri, firmos consistere tergo,
 Tempore, quo laxis frœna sinuntur equis:
 Est aliquid, rapidum certis insistere metis,
 Laureæ mox cæcâ cuspide ferta rapi.
 Alter Tyndaridum meritus (quis enim omnia temnat?)
 Castibus est laudes: alteri obedit equus.
 Nec turpe Alciden oleastri ferta tulisse;
 Quæ ferat, est meritus, vincere Pisa videt.
 Sed nec dedecuit redimitum tempora Phœbum,
 Cui victa ferti venit origo ferâ.
 Pars minor est pecoris, quod durior ungula cornu.
 Qui valet, arguto vertice spumat equus.
 In bove ruricolis non solum cornua curæ,
 Sed quæis grande caput, bobus arator ager.
 Oebalijs victor non tantum gloria castus,
 Divis, quod nôrint æquora, nauta litat.
 Alcides Eumolpe chelin, Line Palladis Artes
 Calleat, Eleus postea victor erit.
 Cynthia à Patris dextra pro fulmine telis
 Dives: De cerebro tota Minerva data.
 Hæc quoque tela gerit quæis servet civibus urbes:
 Vis salvas? claudant hostibus arma viam.

Qui

Qui flexum sinuat ramum, vult poma viator;
 Non tanget, si altâ sepe negabis iter.
 Musarum chorus omnis amat nemus, & fugit urbes,
 Carmina Pieriâ Cynthia edit humo.
 Mollia rura volens, Phrygias compellit in ædes
 Marmora, jam Musis durius urbe nihil.
 Aurea cum fluere infonti sæcula mundo,
 Monte volunt duro delituisse malum:
 Urbibus, effossum cum cæperat hospes haberi,
 Noxior urbs armis, aurea prata vigent.
 Quæ nobis offers, aufer; libet esse disertus
 Deserto, studijs tutior iste locus.
 Quique voles doctum, mores fac deserat urbis
 Natus, desertum sic erit esse probum.

Laudatur Musis vinum, quo à Castalio
 fonte abducerentur ad Bacchum.

Pterides! Vos magna Jovis de stirpe propago,
 Deliciæ sacri gloria nota jugi!
 A Patre, si tanti liceat mihi nominis usus,
 Turba soror; fratri quàm bene juncta loco!
 Dant mihi dulce merum, vobis dant metra parentes:
 Hoc munus dignum Pindus utrumque ferat.
 Vosque jugum fidibus, colimus nos vitibus ima;
 Hoc hilaris cingi pignore laurus amet.
 Excitâ largas terrâ trahit ungula lymphas;
 Botri sed nobis ubere vina fluunt.
 Vos epulæ Numen, dominas convivia credunt,
 Ambobus gratum nomen Jacchus habet.
 Non aliter mea dona orbis, quàm nectar, adorat;
 In pretium quævis gutta levatur humo.
 Chias fratris opes volui (quis culpet amorem?)
 Ter ternæ possent esse sororis opes.
 Audio, difficilès sprevisse hæc munera rugis,
 Audio, vos fidis ora negasse cadis.
 Ignaras dubitem vitis? tamen omnia nostis:
 Duras contemptis cerno fuisse notas.
 Non hic fratris honor: non hæc reverentia doni:
 Grata magis dantis debuit esse manus.
 Dum bifero sanctus surrexit vertice Pindus,
 Ut laurum, voluit sic hederam esse decus.

B

Uaus

Unus aquas, alter voluit sua vina propinet,
Et fueret Musis utraque vena suis.
Et fluit; optatum servent mihi Numina fontem,
Ad quem Baccharum non madet una decas.
Quod sub flore rosæ; astris sol, adamasque pyropis:
In liquidis majus nil solet esse mero.
Robora gemmæ: sol lucem, rosa spirat odorem,
Pandoram cumulant Numina plura novam.
Fallitur insipiens, credam? Non fallitur orbis:
Cunctis in pretio vitis habetur honor.
Ignibus in cyathos fluidum contunditur aurum,
Crystallum, conchæ condere vina petunt.
Argentum rudius, manibus fert durius artis
Tractari, vino si queat esse calix.
Nemo non timeat ferrum, vel Mentoris hastam;
Est doctas horror corpore ferre notas.
Pelignum doceas fieri sic posse trientem,
Debile gaudebit scalpra subire vitrum:
Tantus amor vini! Tam dignâ sede senectus
Excipitur: vetulum sic iuvat esse merum.
Dum juvenis proclum est immitis passa Calenum,
Fert senior versas uva favore vices.
Ætas summa licet, vivit sine morte perennis,
Plurâque Nestoreis sæcula testa capit.
Nobile stemma vetus; laudem à virtute petamus:
Forma bonum fragile est, quæ tamen ora deceat.
Eoos vincunt primos quasi luminis ortus:
Miramur sudis astra natæ vitris.
Est aliud ridens, hilari sub murice vultu,
Quod mensas roseis sollicitatve labris.
Virtus quanta subest? Superi! quid viribus æquem?
Queis debent vigilum cedere signa ducum.
Sæpius impunis risit sub mœnibus hostes
Civis, & adversas spreverat arma, minas.
Quem nec vicissent, calidum nisi vina ligassent,
Et fracto sinerent hostibus urbe frui.
Tempore plura potest, ipso est & tempore majus.
Vos Grajos testor: tœdia castra dabant,
Ilion à binis quateretur ut integra lustris,
Unius hæc noctis diffuit igne meri.
Dulichius belli præstans, nec debilis astûs
Trojani moto robore firmus equi.

Non

Non timuit, prohibens inimicis flumina Xanthi,
Sed Thracas victor rettulit hostis opes.
Casside quem metuat cristatâ tectus Achilles?
Nullum; ni rabidam, trux Polypheme, famem.
Ergone, qui clauso torretur robore liber,
Dum clamat vates: urite Troes equum:
Qui tulit infractus longævas æquoris iras,
Dum inviti patiens litoris exul erat:
Ergone, qui non est Idâ vincendus ab omni,
Terreat Heroem dens Polipheme tuus?
Quæque valet Neptuni evertere mœnia dextra,
Libatas socijs sentiat esa neces?
Sentiet: armatus Cyclopi poscitur ori,
Hostibus & cedit, ni domet arma merum.
Antiphaten, Circe, Cocytum vincet Ulysses:
Quem victor nequeat, fortia vina necent.
Fulmina Titanes, Pythonem spicula sternunt,
Jupiter hos vino vincere utrosque queas.
Tristior est animus? stant atrâ fronte dolores?
Euri componunt aëra: vina genas.
Vires deficiunt? langvescit inutile corpus?
Hauriat ut robur, tu bibe, sanus eris.
Pauperies istum, curæ hunc, illumque labores
Mille premunt causis, mille premuntque modis:
Summos funde mero calices, has massica pestes
Mergunt, dantque bono tempore posse frui.
O quoties udis oculis, qui questus acerbum
Fortunæ imperium, vincula flevit inops,
Ut biberat, fixit levius sub compede gressum
Jamque pati fortis, fronte serenus erat.
O quoties miles damnârat, castra pavore,
Et timidus nollet signa videre Ducum.
Ut hibit, incensam quærit per mœnia mortem,
Et fugat hostiles ense minante globos.
Sæpius abscissos projecit vinitor artus,
Et voluit mutilâ cedere vite piger.
Vinicolis (miseri! dixit) sint usque labores?
Ad stygias tenebras i, malesane ligo:
Ultimus apricum me sol nunc usserit isthic,
Sorte domi posthac, statque quiete frui.
Ast ubi vina bibes, tacitus sibi mente revolvit.
Jam tua Surrenti deficit urna meri.

B 2

Pœnitee

Poenitet attonitum, & siccum subvertere collem,
 Inceptum sudans reddere pergit opus.
Cecropidis olea est dignum de Pallade donum,
 Túque tuâ dignè myrtus amâre Deâ.
Sed vitis superat : Semeleo cedite gnato,
 Vina bibunt homines, vina bibúntque Dij.
Gramen habet campe, sol nubes, arbor asylos:
 Turpior infectis rana coaxat aquis.
Vina carent mendis, sua constat gloria vinis,
 Nec minimos manes, quos patiantur, habent.
Respicit ara Jovis niveum per vellera taurum?
 Cornua fac madeant: hostia grata cadet.
Non Veneri ignotum nectar, tamen ora racemis
 (Nil istis melius) condit Adoni tua.
Hinc valet ingenium, surgitque hinc mentis acumen,
 Estque bonum doctis incaluisse Deo.
Non nisi vinosus novit pater Ennius artem:
 Non pudeat patrem, nate poëta, sequi.
Iliadem excoctis plus montibus arguit uva,
 Quàm pede procurrans Pegase, lympha tuo.
Teje senex! quàm te fecerunt vina disertum!
 Quàmque potens poti lingua canentis erat!
Astra prius numero, numero quoque littoris algas
 Dices, quàm Ignigenæ dos numeranda tibi.
Omnia quis possit. Sit tanta potentia cuidam:
 Cui neque Divorum vincere saxa labor.
Plus potero vinis, referabunt ostia mentis,
 Urbibus hoc fractis, quod nequit hostis, adit.
O! quoties uncus frustratur iudicis iram,
 Mènsque latet, rupto corpore ut ima patent.
Sic minor est ferro, quàm blando gloria vino:
 Plus hoc in somno, quàm vigil ensis, aget.
Quæ toties animo jacuit sententia duro,
 Epoti calicis sine liquata fuit.
Sum domitor tygridum, patitur nostrum India freenum,
 Quæque placet; mando lyncibus ire viam.
Nullus vitifero summum derectet honorem.
 Cælum Atlas calcet: calcat Atlantæ merum.
Dulcè loquar, dulcem sumunt quoque massica vultum.
 Tytire nec prompto flagra minare bovi.
Dum madet exortâ vinosus Plejade Titan
 Tellus nostra parens nomine digna pio.

Mole

Mole supina jacet, sobolis nam pondere pressa,
 Mustaque viniculis per nova mater erit.
Spiritus ore fragrat, vittam quoque vitibus ornat,
 Conscia dandi alvo muneris ipsa sui.
Fessa levat sursum suffixis brachia palis,
 Pleno poturis ubere vina premens.
Ubere quo turgent uvis gemmantia grana,
 Grana, solet rubeis nobilis esse cruor:
Et tu despicias munus? De matre bibisse
 Lac nolis? O non digne parente tuâ!
Quæ subjecta fluunt pedibus, pede flumina subsint:
 Altior, ast ori vinea dona ferat.

Pro Aqua.

Ungves Accipitrem produnt, ut cornua Taurum:
 Indicium vulpes, unde notetur, habet.
Massica quòd spondes cum dulci vite Calena,
 Aut quæ viniculis præla Falerna bibunt.
Arma moves undis, armis sacra flumina turbas,
 Non bibis? Intactas nec violato Deas.
Unda prior coelis, undis firmatur Olympus:
 Astris hanc aufer, tecta suprema ruent.
Has Domini liquidis invisit spiritus alis,
 Et voluit primas ipse natare Deus.
Inde tulit credenda novis nova semina rebus;
 Si sua restituat, jam nihil orbis erit.
Est genus Oceani (tantos memorare parentes
 Gloria) millenæ hinc prolis origo fuit.
Gens superùm (specto mores) fidissima semper,
 Inculpata polis, orbe nocente fuit.
Dum caro corruptis fluere mollissima terris,
 Fortior insurgens vindicat unda scelus.
Quæ mersum stringens meliores edere partus
 Ursit, & infami crimina rasit aquâ.
Hinc virtutis amans, nitidæ pietatis imago,
 Quod fluit, à teneris fassa bibisse, decus.
Gratæque largito superis de flumine, rores
 Dat roseos, tibi dat, cana pruina, polum.
Flammea munificis lactatque vaporibus astra;
 Est, quo pingvescant nubila, munus aquæ:
Quòdque Colone, tui satientur ab imbribus agri,
 Ubere Nereidum suxit Olympus, aquas.

B 2

quoties

O quoties nivei potantia fideris ora
Signat halo? Dulcis nectaris illa nota est.
Qui non debuerat fluido se noscere vitro,
Liriopea undis ora natate videns:
Non toties tenuem quærit sub fonte figuram,
Sol foetâ quoties lumina nube stupet.
Connubio undarum generata parelia Phœbi,
Cui sine prole decus ros dat habere patris.
Quique æterna negat superûm commercia lymphis;
Te neget indicti foederis Iri, ream.
Te neget undantes Thetidis mulcere lacertos,
Complexu socijs labra dedisse labris.
Infruit unda viros, quàm sit venerabile Numen,
Quæque latent terris, has docet unda preces.
Noxa procul: nocuis scopuli stant pœna, Charybdes,
Et Canis, & Virgo, quæ metuenda rati.
Qui bonus, hunc placido portabunt æquora tergo,
Post hunc præcipient, agmina piscis eant.
Jam discant teneri, primò quæ cura parenti
Debita, quis vetulæ matris habendus honor.
E Thetidis parvæ nascuntur origine gnata,
In Thetidis properat quæque redire sinum.
Sique maritata donis dotentur aquarum;
Ad matrem genitis fontibus aucta fluit.
Nactus lucra Tybris resolutis Alpibus infert
Mox rapido currens flumine lucra mari.
Quid minus Ister agis? Thracûmque miserte nepotum,
Non viso soboles devehis Ister avo.
Illimis pietas, cunctis imitabile donum!
Prodiga divitijs, ambitione procul!
Omnia cum præstat flumen, tamen omnia donat,
Pro summo merces estque labore labor.
Saxeus es ni flumen ames, jam saxa moventur:
Obsequio tenuis Saxa cavantur aquæ.
Es ferus, & longè Lernâ immanior hydrâ:
Flumine pestiferis anguibus ira cadit.
Immemor ô tanti; Cenfor nec juste laboris!
Tantis officijs gratia nulla redit?
Nil est ergo, graves fractis deferre lacertis
Pinus, nil nautæ verbera mille pati?
O! melius fuerat, primum submergere Typhin;
Quàm sic oblito, cedere jura sui.

Nonne

Nonne quæ uies fossis complexæ firmior urbi?
Unda vigil si queis excubat hostis abest.
Non ingratis, refer faciles tibi vinitor haustus,
Quos, dum sole ardes, sicca lagena tulit.,
Et tua, præcipiti ni agris accurreret alvo,
Improba potandis cura, colone, foret.
Herculis haud tantum jussi maduere labores,
Quàm sudent nostris flumina fessa bonis.
Jam scissa in latices immitem rumpere terram
Cogitur, & lacerâ se venit unda minor.
Altera Caucasâ labens cervice, videtur
Par canas lacrymas lapsa sonare metum.
Aureus & Ganges pretiosos occulit ortus,
Ac humilis sequitur, quò dat arena viam.
Pignora nec renuit per scissos mittere rivos,
Nobilis à fixis fert sudibusve minas.
Tantis fastus abest, quo rumpunt vasa, Falerna
In tellure sati, O gloria vana! meri.
Pugnemus meritis: Videam quis flumina vincat
Almo lavat Cybelen: Sit Dea primus honor.
Numina Cephiso concredunt fata suorum,
Pyrrhiadas potat saxa liquata nurus.
Illustris defert victum sua Sequana Gallis,
Non patiens ullos urbe catere bonis.
Teutonibus laudanda thori connubia Rhenus
Laudat, nec prolem sustinet ille ream.
Umbria Clytumno felix; hic absque colore
Albus, pingendæ vellera tingit ovis.
Albula vulneribus, podagræ quoque Cydne mederis.
Illum Roma cole, hunc claudus amato Cilix.
Quòdve fidem superat; Veneris Phryx Marsia tœdas
Mergis, te castus quilibet esse potest.
Clytorio fonti (jactas fortissimus esse)
Cur suberas? pudeat sustinuisse probrum.
Fonte satur (vidi) vili diffundere terrâ
Vinum, qui testam frangeret, alter erat.
Subjicit ille pedi, hic vino sua denegat ora.
Ista palam faciant flumina Bacche potens?
Non est hoc dominum devicto te orbe timeri:
Vinceris, & fonti testa trophæa facit.
Jure cadis tituli, tecum mihi vincitur orbis.
Te plaudis mundum vincere: teque Thetis.

B 4

Nisiades

Nisiades utinam dum primo fonte stetit
 Hæc cærent, mensam credo fuisse sitim.
 Nec tenet in tuto, timeat tua cymba procellam,
 Te Nymphæ oderunt, his calet ira memor.
 Quot numeras, oculis, queis pro hoste videre, sinistris.
 Nemo faret, cui sit vina bibisse, dolor.
 In cyathis parvo merfisti gurgite Crætos;
 Naufrage sub tabulam, te jacit Ire calix.
 Invehis & febres (quis sanus guttura credat?)
 invehis & podagram; te quoque vecta Phthysis.
 Hic caput, ille pedes, oculos hic, ille cerebrum
 Te violasse furunt, ultio quemque tenet.
 Si vino meritas pendant hæc fœdera pœnas,
 Inque tuum claudus verterit arma caput:
 Quo miser effugies? sceleri quem Jupiter ignem
 Jure dabit? carnis te quoque pœna manet.
 Flumine mersa luit caro, quæ commiserat ardens,
 Una tuum haud facile diluet unda rogam.
 Lude metum: Curfus non est hic ultimus axis.
 Cum bove nunc ludit, qui bovis exta rapit.
 Massica promittis, veteres de vite nepotes,
 Mansuetos proclis Bacche Calene tuis.
 Ungula potavit phœbum, fluit ungula carmen:
 Cæsuram Elpenor vite cruenta gemis.
 Linquite sed fontes Nymphæ, decedite lymphis:
 Muneribus spumet Castalis unda sibi.
 Mutet Ari-ino cōnjux, Numa, fonte Falernum:
 Ægeriam posces vina Camæna soror.
 Occulto Siculis Alphœus curris amore:
 Fesse redi, ad vites fons Arethusa venit.
 Pan sine nunc calamos, noto se vestiet ore
 Syrinx, de que lacu tota venire volet.
 Vos quoque, sub quibus est, quid quid datur undiq; pulchri,
 Fontis Acidalij linquite rura Deæ.
 Castalis unda vale; Nympharum magna voluptas,
 Dirce, Sebætos, tempus in omne vale.
 Evocat Æmonius, qui fundet Massica, Frater,
 Quæis oculo lumen, frangat & ore rosas.
 Ingenium claris fovistis flumina donis,
 Ut facile expiret, vina bibisse monet.
 Phœbe prius lucem, nocturnos Cynthia currus,
 Vulcanusque focum, tela relinquet amo.

Quam

Quam nos averfis potemus fontibus ora,
 Quam gelidi nobis frigeat amnis amor.
 Flumina, quod non Numen amat: Jam sidera lactat
 Eridanus; vivunt Piscis. & Hydra polo.
 Pro Jove poturo Phœbeus it ales ad undas:
 Cum Cratere jubar, Corvus, & Angvis habet.
 Dignas quære genas: Hic fiet Aquarius axe,
 Qui juvenum prædas montibus ales agis.
 Jupiter usus erat, tunc non abstemius, Hebe;
 Fulis debet aquis pulchrior esse manus.
 O! non sunt tanti, nec erunt, tua munera Bacche;
 Ut mens nostra velit fontibus esse rea.
 Lude, licet lymphas, Bacchis comitate protervis,
 Mente doles, melius lingua valere nequit.
 Nec Jovis, at proles Saturni sumito nomen:
 Ille suas proles enecat, ipse tuas.
 Infra despectas, & projice flumina plantas,
 Icare lapsurum scandito vite caput.
 Undas ima decent: Mater sic omnibus alma,
 Fonte rigat, thermis sanat, & amne vehit.
 Noxia fit nulli: quâ possunt vivere cuncti.
 Vino quisque mori, vivere nemo diu.
 Undas ima decent: sitiens venerabere pronus
 Numen, vult humili pectore dona bibi.
 Undas ima decent: levitas te tollat in altum,
 Sit gravis unda quidem, pondera nemo dolet.
 Porrige tu vites, urge decerpere botros;
 Nullus, qui stratos fortè levaret, erit.
 Qui Lucrina legit pendentibus ostrea faxis,
 Nauta madet, nec aquas siccus inire timet:
 Lilia qui quærunt, hos pronos area flectit.
 Semper erit, qui humilis digna sequetur amor.
 Optima se; tritis dant laudem mercibus ora:
 Obtrusis donis esse videre reus.
 Non vacat amne Polus: Quid pro Jove Corve volabis?
 Fit magis acceptum, quodque labore venit.

Turcia queritur sinistram valetudinem, &
 medicam opem flagitat.

Si qua Machaoniâ superest ex arte medela?
 Si quod adhuc Lycium munus Apollo gerit?
 B s Theſſalia

Thessaliâ, Chiron ! si quid medicabile crescit ?
Fac, succus nobis integra membra levet.
Fluctuat incertis variabile vita procellis,
Et solitum nostro corpore robur abest.
Insomnem versare videt me Cynthia stratum,
Atratz quoties cornua monstrat humo.
Sum vigil, ut Phœbi solvunt spumantibus Horæ
Frœna jugis, Thetis ut flumine tingit equos.
Dùmque diem præcox agitatæ excitat alis
Gallus, de thalamo tunc quoque somne fugis.
Quàmque cupit stomachus, captam non digerit escam ;
Sic crudus lautus vultque, fugitque dapes.
Languida subtractis spoliantur carnibus ossa ;
Hinc moles cœpit corporis esse minor.
Quique viri tinxit sanguis Mavortius ora,
Quique oculis terror fulminis instar erat,
Expallet tremulo quassus, nec in osse quiescit ;
Incerta ex signis cernitur esse salus.
Ergo est in fati, succidere pensa sorores ?
Nulla mihi posthac stamina fusus alat ?
Non velit hoc Mahomet, nobis venerabile nomen.
Ut potes, ad lapsos tempora junge dies.
Quæ vertigo caput ? Stomachum quæ nausea vexat ?
Non manibus vires : robur inane pedum.
Centenas semper vertex par ferre coronas,
Orbem qui vasto ferret Atlante gravem,
Nunc dubijs torquens humeros annutibus, urget
In lapsum cydarim, fronte movente decus :
Cui tellure tenus veritus se straverat orbis,
Spernere non tantum Teuto verere caput ?
Hoc aliquid Capiti, quis credat membra dolorem
Insanâ rabie propria cire suo.
Constantinopolis quoties convulsa furore,
Elisâ vitiat fauce cruenta manus ?
Hic sacer est morbus : casum, quo Jupiter ipse
Tiranum, timuit, gente minante polo.
O ! quantum vegeto firmabant brachia robur.
Hostis tela mihi frangere, & arma, jocus.
Non mihi certasset, qui centum brachia fortis ;
Ægæon, nec cui Pelion, Ossa leves,
Audio, qui terram removendam jactet ineptus.
Imperij nôrit me secuisse globum.

Non

Non valet Oceano Græjus juvenescere Phœbus ;
Eoam reduci Turcia pandit humum.
Contremuit Tanais, bifidusque exhorruit Ister,
Dum premerem telis utraque regna meis.
Ilion ut Graji, nil præter Pergama stringunt,
Tam longæ nequeunt regibus esse manus.
Vistula ! quas tibi conferuit, quas Hungara tellus !
Vestro vos feriens ala bicornis agro.
Nunc cado, si modici peregrini ferre lacertis
Castra velim, in terram Teutonis arma premunt.
Dena per horrendum contritam prælia dextram
Non datur imbelli tendere posse procul.
Austria crudelis ! crudelis fœdere junctus
Puppe Leo Venetâ, & quisquis origo mali !
Crudeles superi ! qui non prohibetis inultos !
Ah miserum ! reperit vix nova plaga locum !
Imperium crevit mihi sorptis urbibus ingens,
Jâmque pares ventrem destituere dapes.
Cappadocum montes, Cilicum quoque regna voranti
Pompa fuit cænæ, plura datura gulæ.
Cocta Semiramidi Babylon, Bithynia dives :
Quanto tam durus sanguine bolus eget ?
Frugales Itali, qui paucis vivere sani,
Unâ duxissent tempora multa Cypro.
Non illâ lautis satiant convivium Turcæ,
Quod famet, haud possent mille cibare Cypri.
Dalmatiæ colles, cum Dacis, Pannonis arva
Bistonis hæc terras, hæc aluere focum.
Quàm valui ! (medici fallunt) impletio prodest :
Tot nec ab ingestis urbibus ulla premit.
Sæcula sunt testes : stomacho fastidia nunquam,
Egestasque dapes nollet & usque suas.
Parva nocent. Aquilæ parvo capiuntur ab ungue ;
Vipera sic taurum, sic canis urget Aprum.
O ! cur libavi ? quas Austria nutrit alaudas ?
Accubui invitis mœnibus hostis edax !
Turpius ejectus, quàm non admissus ut hospes ;
Non satis in mensa fortè modestus eram ?
Spe pressam castro rapuerunt ore Viennam :
Hæc quantam bilem, me fugiente, cient !
Tunc primi ructus, ruptis à Teutone muris :
Tunc primum veteri cessit ab ore cibus.

Regia

Regia Buda prior, mox Possëga, notior Alba,
Agria, cum Dacis viscere dempta meo.
Nunc macies vacuo, nunc turpis pallor in ore:
Et fluidæ sortis nunc alimenta cadunt.
Atque utinam demptis hærent carnis ossa
Urbibus aut sinerent mœnia firma meis.
Thracibus, ac Hunnis gemino firmissima stabat
Porta pede Ottomani, Porta novanda polis.
Fabula, tellurem viridi trepidâsse tridente,
Neptuni quoties senserat icta manum.
Certum, progressu nostro, quod terra tremore
Nutet, quodque pedis signa profunda gerat.
Acciderat supplex venerandis advena plantis,
Supplicia accedunt nunc sine fine meis.
Nyssa, & Tauruni coiit metuenda cicatrix,
Ut major possit vulneris esse locus?
Actæon canibus peregrinus finditur agro:
Horum nec vivus lite carere queo,
Quos ut ut objectis abigam de corpore saxis,
Hostis sollicitant hæc magis arma famem.
Sex menses rabidi, Varadini mœnia rodunt,
Ni tam dura terant, quid mea crura forent?
Jam novies Phœbus junxit se piscibus udus,
Aëreasque pius fletibus auget aquas.
Deliquia & vidit miseræ creberrima Phœbes,
Vidit, ut obtuso cornibus igne micet.
Nunc Mahometus ubi? superique ubi? tempus adesse
Suadet; postremus fors venit iste dolor.
Nunc, quas Thesidæ, medicas Epidaurius adfer
Herbas; quàm nocuos Turcia sentit equos!
Huc, huc arte potens, & duri vulneris Alcon,
Multiplici veniet vulnere major honor.
Huc, huc, qui Pæantiadæ sanâsse sagittas
Diceris, Herculeâ pectore fixa manu.
Reddita te aspiciunt Phœnicis lumina Chiron,
Tu nostris oculis, quam potes, adfer opem.
Juppiter ista vales! redeat, fac, viribus ardor.
Fer, quàm omnes reliqui, Juppiter unus opem?
Auspice te cœptum! quid enim sine Numine crescat?
Qui nos in terras, is Jovis urget opus:
Nocturnas furia comitatæ Manibus, horas
Eripiunt somno, terror ubique sequar.

Spiritua

Spiritus hic ingens, quo vixit Persia regnum
Ex Erebo timet, & causa timoris adest.
Funeris inde venit famulari Media crine,
In vitæ finem stamen inane rotans.
Nunc video Assyriam sceptro, regnoque solutam,
Eumenidum nexus angve cruenta comas.
Quidquid & averso perlustrem lumine, terret,
Terrorisque omen, mortis imago venit.
Si somnis vel parva fides, mihi somnia monstrant
Fatorum seriem, nocte futura docent.
Pellibus instratis quærebant ægra quietem
Membra, ut cæruleas nox vehit atra rotas.
Non mihi nocte quies; nocui nox conscia somni,
Noluit esse meo fortè timore rea.
Orta dies nondum fuerat, sed nuntius Horis
Pastos comendi tempora clamat equos.
Titanisque aurora vias præcesserat ortu,
Molliat ut terram, rore fluente novam.
Tunc udo modicum, quod cornu somnus habebat,
Fundit, & obsequium lene papaver agit.
Vix tum mersa natant in dulci membra sopore,
Præscius hæc Morphæus signa notanda tulit:
Campus erat: campum pressit pro gramine ferrum,
Et natæ segetes, nil nisi miles erat.
His trucior vultus, nec parvum corpore robur,
In ducibus virtus, vita, vigôrque sacer.
Nubila se findunt, vestum bino alite Rastrum,
Hoc currus; volucres grus, Pelicanus erant.
In Raistro senior, cultu venerandus, & ore,
In placida fulgens fronte corona triplex:
Dextra tenet claves, Ollas tenet altera scuto
Tres versas; limbus verba legenda notat:
Est, cur inversas servent insignia testas,
Quælibet hæc raris usibus Olla valet.
Fit clamor; supplex venientem miles adorat,
Et proni polcunt, det bona verba, Patrem.
Ille preces, precibusque addit tua signa salutis,
Terna locò Ducibus muneris Olla datur.
Arx erat; æratis firmatur porta catenis,
Testis apponit menstrua luna caput.
Cui versæ (obstupui) candescunt ignibus Ollæ,
Obtegit & fumus marmor, & ignis edit.

Lætiior

Latior ora senex urgens inducere Rastrum,
 Quam sævis vertunt ensibus, æquat humum.
Arx faciem perdit; varios dant rastra colores,
 Utilia excito vulnera flore nitent.
Heu vereor veros somni sub imagine casus!
 Ne firmet vereor nostra ruina fidem!
Sæpe cado; videorque mihi novus Icarus alis,
 Sole Duplo nullis mergi inhumatus aquis.
Cornea non fuerant, terrent & plumea noctes
 Omina. Nam insidias rete ciebat avi;
Illitus & multas visco deceperat auceps,
 In miseris strages ingeniosus erat.
Ut vidi, pepigit buboni damna volantum:
 Callida, quam vellet, sed magis una fuit.
Nunchuc, nunc illuc, volat hinc, revolâtque, sequentem
 Ludit, & ambiguum docta moratur iter.
Ille potens fraudis sequitur discrimine fessam,
 Et primam volucrum jam propè fraude tenet.
E laxis caudæ postremas vellere pennas
 Ausus, non fidas vertice figit opes.
Ex aquila cristæ apposuit fera præmia, plumas,
 Et nocuâ falsus sorte galerus ovat.
Nam mox implumis steterat cornicula frontem
 Esâque deciderat dos aliena comis.
Ludicra, sit volucrum reliquarum, gloria risus,
 Aucupis & falsas spes per inane canunt.
Plurima delusum post terga ciconia pinsit:
 Ast Aquilæ pennis justus habetur honor.
Queis in consumptas surrexit vindicis ira;
 Dântque alijs ea, quæ damna tulère, pati.
Heu me! quàm nunquam fuerit mihi causa timoris,
 Nunc est. Heu me! umbris tantus inesse metus?
Qui petit, allata veniat sibi grande salutis
 Nomen, nunc ferat, & tempore jungat opem:
Spes mihi magna subit, si sint medicamina præsto;
 Spes mihi ni servent tempora, lapsa cadit.
Ah! modò Pœoniæ non ducant artis inertem;
 (Quod semper timui,) qui gravet arte malum:

Medicus

**Medicus primus Turciæ contra defluxiones
 sulphuris fumum svadet.**

Sæpe vides flecti totas Aquilonibus alnos:
 Sæpe vides vanos robora ferre Notos.
In dubio nutans sic firma est æquore cymba:
 Quæque magis pallent lilia, pulchra magis.
Grande tibi corpus, grandisque hoc spiritus ardet,
 Imperio non est majus in orbe tuo.
Parva nocent parvis: vis quanta requiritur, ingens
 Sentiat ut vires Pelion, alte Gygas?
Enecat exiguos visis mors atra sagittis:
 Ut sternat tantos, ipsa cohortis eget.
Si dolor in manibus, si dextera debilis usu,
 Quæ vincis, quatiens subdita colla pede.
Effossum cessit lumen Polyphemus Ulyssi.
 Quo noceat, cæco gutture clamor erat.
Mente vales, animo? pars est hæc optima sani:
 Quid, tua si vincens corpora mente cadat?
Est procul à jugulo morbus, conficta putabit
 Cor, si extrema ferant membra dolore notas:
Noxius est humor, qui fluxu brachia inundat,
 Ac nervos prohibet muneris esse sui.
Contrahit, incendit meliores corpore partes,
 Hæc semper membris intimus humor agit.
Aude! spemque tuis meliorem concipe morbis,
 Quam fero, laudatum cura levamen erit.
Tunc, cum sole calet cancer, cum colla leonis
 Flagrant, cum torret flammeus axis humum;
Crebrior ad ripas, creber per fluminis ora,
 Corpore procurrens attrahis udus aquas.
Tunc etenim rapidis fluit Ister noxior undis,
 Martia tunc Rheni suscipit unda rates.
Plurimus exscendit Peregrinus miles ad oras,
 Queis noceat pungens, plurimus arma tenet.
Huic labor est ignis, nocet hic ardoribus, alter
 Ense valet, minimum pungit & iste latus.
Hæc mala nota mihi; lapsos experta per annos
 Sunt tibi, queis fumus certa medela valet.
Sulphure Tartarico (his solet esse celerrimus ignis)
 Hoc sparge infesti corporis igne loca;

Consumet,

Consumet, pellere vago cum Teutone fluxus,
Sanato liber corpore motus erit.
Planta manum sequitur, post nunquam mobilis arbor.
Qui mala prima necat, sanior ille valet.
Tu melius: si prima grauent te semina morbi,
Dum fluit una ratis, dum premit una solum:
Principijs obsta, morbus, fac, sentiat ignem.
Sæpe medela iuvat prima, secunda nequit.
Hæc erat, hæc nostræ placuit sententia menti.
Quæ socijs? non est sensibus una via.

Secundus svadet aurum potabile.

Humida tu siccis, morbis contraria ponis:
Corpore vis peccans hostis ab hoste cadat?
Svadere extimæ qui sanes, cura est sine cura,
Claudere quis moneat septa latente lupo?
Cervus præcipitat valles qui faucibus, errat:
Quam fugit, insinuant pectore tela necem.
Externæ cautus sanes licet ulcera partis,
Æger es, internum si mala pectus edant.
Sit: rapidas pelle à patria tellure cohortes,
Ne quoque se effundat corpore, pelle malum.
Firmior haud stabit vertex: non brachia robur
Sument, inde nequis certior esse pede.
Est aliquid, ventum, quo vites, nôsse Charybdim.
Plus, qui dat findi quodlibet æquor, agit.
Non nôrat Themison, non hanc Podalyrius artem.
Quâ foret ægrotis omnibus una salus.
Pluribus arcanum refero, quod montibus annis
Delituit, Rhodij portio fulva soli.
Ars liquat, & pressum fundit fornacibus aurum,
Quod solidum, fluidum nunc vitra potus inicit.
Mors hyemis duret lethali frigore corpus:
Funde Tagi guttam, si bibat, æstus erit.
Nil Saturnus obest lutulento pestibus ore,
Nil, quas à nocua dicere morte, domus.
In caput ascendit crassis à facibus horror,
Imperio insidias turba rebellis agit?
Corruptas auro facilis depelle vapores,
Aurique, officium plebis, amore, redit.

sic

Sic Danaë munita Jovis vim turribus arcet,
Jupiter auro ardet, turris & ipsa liquent.
Imbelles quereris, veteris nec roboris alas?
Milite nec vulsas, est reparare novo.
Aurum, aurum populo, Cadmeo fortius aurum
Dente, timenda magis crescet ab ære phalanx.
Hoc tollit regni vomitus, hoc tormina tollit.
Sint, facit, ut regni pignora fida loco.
Stare pedes nequeunt, nec debita pondera ferre?
Sed succussa ruunt, Martis adacta globis.
Uttere, firmabis; si vis, & currere possis
Auro, vel cursus sistat ut hostis, ages.
Aurea poma pedem minuunt, Schœneia virgo,
Aurea te Macarêu, crure valere docent.
Sed quid laudatum non æquis laudibus ornem?
Fons alijs, qui sit clarior, ipse placet.
Si memores (quod & æquum) extremus spiritus ore
Jam sedit, propior frigit & aura labris.
Nullus corde vigor, sed coram funeris umbræ,
Mors, ni morte scias, quod queat esse minus.
Tunc quis depositæ renovavit tempora vitæ?
Quis, quæ rursus agat stamina Parca, dedit?
Sparferat ut membris virtus spargenda metalli,
Fortior is manibus, fortior isque pede.
Corpore vix moto modicum bona faverat aura
Belgradi, quantum hæc viribus aura dedit!
Si tibi credis, amesque tuam, ut decet, ipse salutem;
Ex auro expertas experiaris opes.
Ride mendacis vetulæ quoque somnia noctis;
Non sapiunt tripodas, quos sapit Olla jocos:
Non semper fragili mortem tu videris Ollâ.
Aura levat pennam, somnia turbo levet.

Tertius purulento vulnere svadet quietem.

Si tua verba fidem, mors victas frange sagittas,
Si tua dicta probant; ponite Parca colum.
Qui effodiunt aurum specubus, nunquam ossa reponent.
Aurum quisque sitit, vivet, ut ara manent.
Omnia curasti, queis curâ non eget æger,
Is nullam, sanam qui iuvat arte manum.

17
12

In pede se nutrit morbus, nil vertice luget,
Stet; ne in discrimen corpore totus eat:
Ilion hoc denis pugnatum messibus Hunni
Urunt: hæc Turcæ Troja labantis erat.
Jamque malum toties geminato vulnere crevit,
Ut fisco mordax sit laniena pede.
Carnibus & laceris veniunt nunc ossa sub ictum.
Pars pedibus non est, quæ valet, ulla super.
Tange malum: frustra fundis medicamina cordi.
In pede cuncta juves, in pede cuncta neces.
Horrenda aspectu, collecto sanguine putet
Plaga, intus cæco flagrat ab igne cutis,
Aspera, tetra, dolens, sanie quoque foeta cruenti
Puris, sic stridet testa calentis aquæ.
Pura quies sanat, puri res noxia motus:
Cum requiem dederis, tum pede sanus eris.
Si memor es veterum, quoties fors victor agebas
Cursum; substiteras, nec mora longa fuit:
Collectis hosti vegetus quæis viribus instas;
Est tibi de modica nata quiete salus.
Grande scætet tuber, cancri jam serpitur ore,
Quo minuunt, augent, & nova damna malum:
Ense recidendum est, ne pars sincera trahatur,
Plenior ut vivas, sit leve parte mori.
Noxia qui scindit frondi, facit arbore lucrum.
Vult omnes; unam qui lue vitat ovem.
Hunniacis (hæc flamma latet) nunc cede colonis,
Et finem facient vulnere multa suum.

O. A. M. D. G.